DE

LOGICAE AC DIALECTICAE

NOTIONE HISTORICA

DISSERUIT

IOANNES GEORGIUS MUSSMANN
PHILOSOPHIAE DOCTOR.

BEROLINI
TYPIS IOAN. FRID. STARCKII
1828.

IOANNI SAMUELI HINTZ

S. P. D.

IOANNES GEORGIUS MUSSMANN.

Hoc Tibi, Amice Carissime, mittens opusculum, quid magis optem et expetam, quam ut ex Te audiam, hunc Tibi libellum quum gratum, tum in nonnullis etiam novum et gravem videri? Nam quae in eo manca fortasse et emendanda sunt, haec abs Te pro Tua, quam ubique expertus sum, simplicitate, sinceritate et libertate ut mihi enuncientur, non rogem, sed Te enunciaturum certe scio. Ne autem mireris, quod in rebus philosophicis utar lingua Latina, attendas velim, id nonnisi Academici expetendi muneris causa factum esse. Quare des quaeso veniam libello meo, si in aliis forma ejus fortasse a materia, in aliis materia a forma turbatae fuerint.

Cur autem hoc opusculo ad Te imprimis me convertam, duae sunt causae: Tua amicitia et mea conscientia; haec quidem, quod scio, amicos se invicem optime nosse, laudare, vituperare; illa autem, quod per sedecim annos in diversissimis vi-

tae studiique rationibus ac fatis ita comprobata est, ut eam hac publica laude haud indignam existimem. Quam diversae autem sint, quas Deus nobis edidit, vitae sortes, vitae ipsae aperte docent. Et quamquam divinum Numen utrumque nostrum e fabri officina ad unam eandemque litterarum sedem Gedanum vocaverat, Te tamen duxit, et bellicoso ipso tempore, per omnes litterarum scholas ad Universitatis disciplinas; me autem fere ipsum rudem ad erudiendos pueros, ad militiam, et denique reduxit ad studia litteraria Tecum renovanda. Te mox ex Universitate domum revertit, ut docendi officia et labores susciperes, patrisfamilias gaudiis fruereris, et ut ego Te aliquando ecclesiae pastorem sim auditurus; me autem sane Theologum ex Theologorum auditoriis per scholas Philosophorum, laboratoria Physicorum, naturam et historiam cognoscendam non domum, sed ad me ipsum revocavit. Quibus omnibus jam inceptis, exactis, compertis perspectisque nunc animus meus perfunditur laetitia prorsus et gratiis, quod investigata rerum divinarum humanarumque natura et Deum Optimum Maximum, et Te Amicum non modo non perdiderim, sed ubique Utrumque invenerim, semperque me retenturum sperem. Vale!

LOGICAE AC DIALECTICAE PRAENOTIO.

Priusquam historicam, ut propositum est, Logicae ac Dialecticae explicationem ingredimur, rationi consentaneum videtur, nonnulla de pura utriusque notione ita praemittere, ut non modo earum substantialis natura distincte et clare intelligamus, verum etiam utramque unam et eandem esse doctrinam seu scientiam cognoscamus, iis nuce quasi comprehensis partibus, quae notionis genuinam naturam constituant, quaeque ex humanae rationis mentisque consideratione sequi, et sequentis dissertationis historicae fundamenta jacere videantur. Si nonnulla in hac nostra praenotionis specie obscura fortasse ac dubia remaneant, ea historica ejus enucleatione perspicua et manifesta fore speramus.

Quaerentes autem firmam constantemque Logicae, imprimis fundamentalem notionem jam hujus scientiae ipso nomine ad hoc fundamentum et principium ducimur, ad Graecum λόγον, i. e. rationem et orationem; quippe quod in utraque principii ipsius substantiam ponamus, omnes Logicae ac Dialecticae formas materiamque complectentem. Ratio autem duplex dicitur, aut *theoretica* seu pura, quoad scientiam spectat, aut *practica*, quoad vitam; sed in Logicis prior modo vis amplius consideranda est. Omnis autem scientia, quum involvat ideam, ab eaque definiatur et com-

pleatur, hanc ob causam iterum duplicem fert notionis speciem, aut *realem* sive objectivam, aut *formalem* seu subjectivam. Realis autem nominatur ea, quae ut substantia rationis, i. e. cogitatio, sive idea rei adaequata, totum quoddam notionum explicat et ideae ipsius partes et definitiones continet. Invenimus eam non modo in empiricis doctrinis, sed prae ceteris omnibus in metaphysicis, seu Philosophia ita constitutam, ut hac ipsa definitione jam dignoscantur, ut videbimus, a Logica. Formalis vero scientiae species concipitur, cum formam modo spectamus, quam idea subjectivo cognoscendi sciendique discursu impetrat, quaeque itidem varios, perfectos et imperfectos, puros impurosque cognitionis modos consideranti manifestat; haec autem species nonnisi ad Logicae pertinet scientiam, et propriam ejus notionem complectitur. Ratio enim, ut hanc formalem ideae speciem absolvat, omnes prorsus ideales sciendi formas explicet, atque ab una absoluta ad alteram eamque perfectiorem ascendens totam sciendi naturam et mente et sermone discurrat et disserat necesse est; a disserendo autem seu τῷ διαλέγεσθαι Logicam alterum quoque *Dialecticae* nomen traxisse compertum est. Dialectica autem rationis vis ac virtus ab antiquis jam *Mens* (νοῦς, *Verstand*) appellata ac definita est; propterea quod percipiendis disserendisque rebus ratio non modo suam ut mentis naturam manifestat, sed hac ad finem deducta manifestatione omnem etiam inter ipsam et res ortam dissensionem extinguit, idque sequitur, quod *verum* seu *veritatem* appellant. Quo factum est, ut haec mentis verum cognoscendi vis, si certis regulis exercitationibusque ad sollertiam ac facultatem elata sit, *ars dialectica* nominetur.

Ex quibus dictis sequitur, quem Logicae et Dialecticae arti scientiaeque finem statuamus. Nam per se sumptum finem in eo versari co-

gnovimus, ut idealem rationis, animo verboque dissertum sciendi discursum ita instituat, omnesque mentis leges, operationes et visa ita ostendat, ut idea ipsa a primis purae seu theoreticae rationis initiis per singulos gradus ad summum usque sciendi fastigium, seu mentis perfectionem progrediatur, eamque nos cognitis rebus naturae plane adaequatam, vel quasi veritatis statum et habitum tenentem animo intueamur; quod idem est ac si dicimus, ideae subjectivitatem adaequatam esse seu congruere ipsius objectivitati, modo intelligamus sciendi tantum seu mentis operationes, non vero singula ejus cogitata realia, quae scientiae Logicae fines excedunt. Sed hoc ipso Logicae fine constituto postquam purae et notionis et scientiae definitionem absolutam cognovimus, nonnisi pauca praemittenda videantur de Logicae cum ceteris scientiis relatione, nec non de ipsius concreta et discreta natura.

Logica enim scientia dummodo puram quasi mentis formam manifestet et explicet, manifestando et explicando non respicit ad rerum neque universalium nec particularium naturam et definitionem realem, si quidem, ut diximus, mentis modo operationes actionesque distinguit, definit, describit, componit erroresque dissolvit; maxime autem mentem ipsam et affirmat et corroborat ad concipiendam et intelligendam rerum omnium naturam. Quo etiam factum videmus, ut omnes ceterae, quae ad res divinas humanasque pertineant, doctrinae Logicam ut medium sive instrumentum (ὄργανον) requirant et postulent, atque hoc praeditae non modo veram sibi rerum naturam cognoscendo vindicare, sed etiam ad perfectissimam sui ipsarum formam, vel ad veritatis speciem sese extollere possint. Quo quidem rationali mentis studio causam etiam cognoscimus, cur veteres recentioresque philosophi Logicam ac Dialecticam vulgo ***Organicam*** sive ***Organum***, i. e. instrumentum, ***Horicam*** seu

definitivam, *Canonicam* seu *Canonem*, i. e. regulam, *Agogen*, i. e. viam propaedeuticam, nec non *Methodum* nominaverint, vel in ea cujuscunque veri vim et *criterium* posuerint. Arctissimo autem vinculo cum scientia nonnisi rationali seu Philosophia cohaeret, quippe quod, si veram ipsius speciem et fundamentum spectamus, ad illam Philosophiae partem pertineat necesse est, quam Psychologiam rationalem seu Pneumatologiam appellant; nihilo minus autem ab ipsa Philosophia ut cognoscendi instrumentum postulatur.

Si denique Logicae praenotionis, sicut eam definivimus, naturam paullo accuratius consideramus, haec fortasse dicenda habemus. Logica enim scientia est perinde atque ejus notio simplex, totum quoddam concretum seu substantiale, quod dividi potest in duas partes, *formam* et *materiam*, et secundum hanc divisionem, ut historia ipsa docebit, per se investigari explicarique potest. Formam autem invenimus explicari potissimum a *Dialectica* Logicae parte, i. e. mera et per se instituta omnium mentis operationum legumque e principio suo, quae pura ratio est, deductione et per totam scientiam explicatione. Potest igitur haud inepte appellari Logicae *Theoria*, i. e. conspectus et constructio principiorum. Materia autem complectitur non solum singulas sive abstractas mentis operantis leges, regulas ac definitiones, verum etiam singula operationis facta, ut cogitationes, enuntiationes, judicia, conclusiones, quae exempli instar vulgo addi solent, et congeries quasi elementorum ad usum colliguntur. Eodem igitur modo, quo forma etiam materia per se spectari et disseri potest; totius autem explicationem et collectionem Logicae *Empiriam* nominemus. — Commemoratum praeterea in posterum velimus, si persequamur Logicae notionem per historicas ejus species, has duas notionis partes non in uno scientiae toto, ut debet, explicatas

inveniri, sed singulas seu per se constantes et pervulgatas, haud raro ita sibi oppositas, ut si cresceret alterius vis et auctoritas, alterius decresceret, et contra; utriusque autem conjunctae explicationem et concretionem aut rarissime, aut nusquam fortasse adhuc reperiri.

Sed historicae nostrae Logicae notionis dissertationi hanc concretam discretamque naturam aptissimam existimavimus, quam quasi fundamentum partitionis et explicationis ita constituamus, ut primum notionis immediate seu naturaliter concretae naturam, eamque, ut ita dicam, in ipsa mentis operatione Graeciae potissimum philosophis; deinde discretam dissolutamque naturam recentiori aevo attribuamus; denique vere concretam absolutamque Logicae speciem, quam nostra aetate, maxime patriae philosophos jam ingressos esse praedicamus, hoc tractatu, quoad fieri potest, explicemus et manifestemus. Quibus dictis id quoque adjectum velimus, nobis, qui Logicae seu Dialecticae notionem ex historicis philosophorum decretis eruere constituimus, in sequente explicatione non modo ad ejus notionis formam et materiam, per se constitutam, verum etiam ad earum in unius scientiae redactionem, nec non Logicae rationem ac relationem ad ceteras scientias, maxime autem ad Philosophiam diligentissime attendendum esse.

PARS I.

LOGICAE NOTIO PER ANTIQUAE PHILOSOPHIAE HISTORIAM.

Qui nostrum Logicae scientiae per historiam initium quaerit et originem, eum respicere oportet non tam naturalis vitae mentisque rationes, quam singulares illas conditiones, quibus homines inter se conjuncti et consociati non modo incitati sunt, ut excolerent rationis facultates mentisque vires et operationes explicarent, verum etiam ita perficerent, ut mens ipsorum ad easdem rationales seu Logicas determinationes revocata, comprehenderet earum vim ac gravitatem, easque consulto exerceret. Id autem omnibus locis temporibusque fieri videmus, ubi et quando homines non omnium solum rerum divinarum humanarumque naturam et causam cognoscere student, cognitiones autem verbis disserere et definire coguntur; sed ea etiam quaestio in medium fertur, quae et quanta in verbis, notionibus, definitionibus scientiisque sit veritas, sive, ut ad Logicam propius accedamus, quae et qualis rationis mentisque operationibus ac visis insit sciendi vis et certitudo. Inter omnes autem antiquos populos maxime apud Graecos ratio humana ad se ipsam revocata, cogitantem suam naturam seu mentem manifestavit. Quam ob rem naturales, sive eas, quae naturali rationis explicationi maxime consentaneae sunt, Logicae primitias inter Graecos tantum invenimus. Hellenicae enim Philosophiae historia Logicam ita distincte ac studiose expositam continet, ut rationem mentemque per omnes evolutionis perfectionisque gradus persequi, tres autem potissimum dignoscere possimus; quorum quidem primus Logicam manifestat sua ipsius elementa explanantem et erudientem; secundus vero haec ipsa Aristotelis imprimis studio ad quandam scientiae speciem et ampli-

tudinem promovet; ac tertius denique perfectissimam, quam Graeciae ingenium philosophicum, praecipue dogmaticorum ope impetrare potuit, refert speciem.

CAPUT I.

Omnes Graecorum philosophi eorumque scholae, quae ante Aristotelem floruerunt, de Logica bene meriti sunt, propterea quod, rerum origine, natura ac fine satis spectatis ac dissertis, rationalem seu Logicae materiam et elementa naturali quodam modo explicuerunt; quamquam non ea distinctione ac dijudicatione factum est, quam Logicae notio desiderat et postea ipsa ingressa est. Nam omnes distinctae Logicae formae et materiae, ut fit initio et quocunque turbido tempore, arctissime metaphysicis quaestionibus et cogitationibus implicitae, vel quasi completae, cogitationes autem ipsae non vere Logica, i. e. ideali ratione et sciendi progressu definitae erant; quod quidem maxime in *Jonica* et *Pythagorica* philosophia conspici potest. Et quamquam celeberrimus ille *Heraclitus* cogitando omnes aequales philosophos longe superavit, non tamen Logicae, quam idea in conscientia sive animo percurrit, explicationem et viam ita, ut fieri debet a viro philosopho, percepisse videtur; nec melius Pythagorei, qui numeris freti, multum adhuc abfuerunt a vera ideae definitione. Inter omnes autem constat, *Eleaticos* philosophos primos fuisse, qui, a doctrina sua metaphysica coacti, singulas nec non puras sive abstractas Logicae formas mentisque operationes, primo praeter voluntatem, mox consulto protulerunt, et in usum philosophicum verterunt. Platone potissimum et Aristotele judicibus *Zeno* Eleaticus si non inventor scientiae, tamen auctor artis Logicae ac Dialecticae fuit. Prae ceteris Platonis dialogus „Parmenides" inscriptus splendidissimum est Eleaticae artis exemplum; et sane miremur, quantum jam tum profe-

cerit mens in singulis suis operationibus excolendis, imprimis abstrahendo, distinguendo, definiendo et concludendo. Neque vero ratio in omnibus his dialecticis artificiis vim suam sibique consentaneam mentis viam cognovit; quo factum videmus, ut permultis abstractis notionibus, propositionibus, ratiociniis aliisque ceteris, quae ad Logicam pertinent, explicatis, mox ipsius elementa non in scientiae formam redigerent, sed sui ipsorum studii operisque inscii, prolata in malam partem et abusum converterent. Ab Eleaticis enim Dialecticam ad Sophistarum coetus, quorum principes, ut tritum est, ***Gorgias*** Leontinus et ***Protagoras*** Abderites fuerunt, transiere. Merita autem eorum omnium de Logica in eo ponenda putemus, quod, sicuti in cogitandis rebus rationis seu logicas virtutes, in captionibus fallaciisque inveniendis componendisque ejus vitia in medium tulerint, et hoc ipso modo Logicam superfluis quibusdam auxerint.

Sed ratio ipsa his Sophistarum opinionibus, quibus ipsi decepti vulgarem quoque mentis captum illudere studebant, mentisque erroribus sese opposuit. ***Socrates*** enim, fallaciis Sophistarum detectis ac rejectis, mentem ipsam, si minus ad comprehendendas suas ipsius operationes, attamen, ut fieri debet, a subjectivis seu formalibus ideae definitionibus ad notionum rationale fundamentum, quod idea vera seu substantia realis est, convertit. Quo simul factum est, ut conspectis et collatis rebus earumque actionibus, non tam mere rationali, quam naturali sive empirico modo et conclusione ideam intelligeret, maximeque inductionis et analogiae ratiociniis demonstraret. Nihilo minus inter ejus sectatores ***Megarici*** Socraticam illam Sophistas refellendi artem dialecticam, novis quasi praestigiis et captionibus ad illudendum et perturbandum captum communem inventis, supra artem Sophisticam ad ***eristicam***, i. e. contentio-

sam

sam extulerunt, ideoque Logicam magis removerunt, quam promoverunt. Inter omnes enim satis constat, *Euclidem*, eorum principem, prae ceteris analogicae conclusionis certitudinem negasse, *Stilponem* notionum communium sive idearum realitatem rejecisse, *Eubulidem* inventis captionibus dialecticis excelluisse.

Verumenimvero mirabili quadam ratione et arte Socraticorum celeberrimus, *Plato* is fuit, qui non modo magistri ingenium artemque dialecticam complexus est, verum etiam omnium priorum philosophorum, quaecunque in Logica ac Dialectica produxerant, unus comprehendere, splendidissima illa Dialecticae Socraticaeque doctrinae artificia disserere, et sempiterna quaedam et quasi plastica exemplaria componere conatus est. Logica autem et Dialectica in iis tam arcte cum Metaphysicis imo et Grammaticis conjuncta sunt, ut illa nonnisi disjuncta et abstracta ab his concipi possint, ex auctoris ipsius dicto: „διάνοιαν καὶ λόγον ταὐτὸν εἶναι," notionem et orationem idem esse. Quam ob rem etiam omnia, quae ad Logicam pertinent, minus per se omnibusque modis explicata et sigillatim dijudicata, minimeque ad totam scientiam composita, sed disserendis quibusdam ideis physicis, ethicis aliisque adbita vel applicata inveneris. Atqui semper recteque judicavit, Dialecticam *πορείαν*, i. e. viam esse, qua mens ex umbris sensilibus contendat ad summum verum et bonum; ejusque finem in eo ponendum, ut mens repurgetur a pravis opinionibus, ac dirigatur ad primi Entis sive Ideae aeternarumque ejus formarum scientiam seu Philosophiam; cujus igitur instrumentum quasi seu methodus sit Dialectica, ut ipse atque ipsius sectatores existimarunt. — Logicae notio, si speciem ejus impetratam intuemur, in nostra dissertatione jam adeo progressa est, ut omnes suas partes, etsi non per se et abstracte, seu quod idem est, non pura

ac distincta, quam scientia postulat, forma explanatae sint, tamen completae quasi singulari quadam scientiae materia, vel superfluis permultis adauctae non modo in animo haereant, verum ad conspectum venerint, ibique ut mentis reales determinationes et actiones inspiciantur.

CAPUT II.

Sed, sicuti ratio humana, nostrae quoque scientiae notio, pulcherrima ipsius Dialecticae forma dissoluta, non desiderat tantum propriam puramque speciem, sed sane invenit ejus auctorem acutissimum, *Aristotelem*. Omnis autem scientia, quae ad totum attendit, ita incipit, ut ejus substantia enucleata describatur, descriptio autem ejus prima forma dicenda sit. Sic etiam Logica inter omnes antiquitatis philosophos primam formam ab Aristotelis maximo ingenio nacta est. Is enim de Logica optime meruit, propterea quod Logicae materiam, quae studio et arte antecedentium philosophorum eruta et in usum vocata erat, non modo a materia potissimum metaphysica sejunxit, collegit et intellexit, verum etiam ita disseruit, diligentissime descripsit et acutissime dijudicavit, ut posteris nihil fere, quod desideraretur, in hac prima Logicae specie reliquisse, imo eam, quam Plato existimavit, vere cognoscendi sciendique viam tradidisse videatur. Sed hoc gravissimo, ut ipse confessus est, operis studio ac labore dignissimum quoque se praestitit, qui ab omnibus *scientiae Logicae* auctor et appelletur et celebretur. Quo autem sensu, ac quo ratione et relatione cum ceteris scientiis Logicam auctor intellexerit, maxime ipsius sectatores manifestare videntur, qui ex singulis ad Logicam pertinentibus partibus unum totum contulerunt, idque magistri, ut verisimile est, exemplo Organicam scientiam seu *Organon*, i. e. instrumentum nuncuparunt, utpote qua via veram quisque scientiam sibi parare posset. Omne autem verum secundum Aristotelem

versatur circa *universale* (*τὸ καθόλου*), et verisimile circa *singulare* (*τὸ καθ' ἕκαστα*); explicatio et argumentatio veri est *demonstratio* (*ἀπόδειξις*), verisimilis autem *inductio* (*ἐπαγωγή*). Quo discrimine etiam factum est, ut Logicam in duas partes, *Analyticam*, quae ad verum, et *Dialecticam*, quae ad verisimile pertineret, divideret; quamquam Logicae ipsius sive Organi, quam post auctorem a Peripateticis impetravit, constitutio singulis partibus librisque distributa Categorias, Hermeneuticam, Analyticam priorem et posteriorem, Topicam et Sophistarum elenchos, iisque partibus sane omnia, quae nos adhuc ad Logicam constituendam necessaria ducimus, continet elementa. — Quibus dictis omnino intelligi potest, ad quem perfectionis gradum Aristotelis ingenio Logica sit promota. Nam accuratius si perpendimus hujus Logicae speciem, perspectum cognitumque fore speramus, Aristotelem non extulisse illam ad scientiae dignitatem, sed partes modo ejus sigillatim et abstracte disseruisse, docuisse et descripsisse, minime vero earundem partium et elementorum notionem sive ideam, qua omnia ad unum scientiae totum coërcerentur, quaesivisse. Organum igitur ipsum, quo elementa singulaque Logicae principia tam mirabili ratione ac mentis vi eruta atque enucleata accepimus, rationalis modo et critica Logicae *empiria*, i. e. elementorum ac principiorum collectio et dijudicatio haberi debet, quae ipsa vere rationalem *theoriam*, i. e. elementorum ac principiorum singulorum deductionem ex uno quodam principio sive idea, ut ipsius fundamento, adhuc desiderat. Et quamquam hujus quoque theoriae adumbrationem Aristotelis libri de anima peracute ac distincte experiuntur, tamen neque auctor, neque ejus discipuli eam cum Logicae empiria conjungere potuerunt, sed mancam hanc scientiae partem emendandam iis reliquerunt, qui hujus imperfectae notionis ac scientiae Logicae conscientiam capturi essent, iisque, qui vulgo dogmatici philosophi appellantur.

CAPUT III.

Dogmatici autem ea tantum, quae ab antecedentibus philosophis ex Logicae quaestionibus in medium proposita imperfecta remanserant, perfecerunt, et ad eam perfectionem promoverunt, quam Graeca mens omnino assequi potuit. Principes autem Dogmaticorum *Stoici* sunt, qui sicuti scientiam totamque vitam ad unum summum principium reducere, sic idem in Logica ac Dialectica exigere conati sunt. Cognoscendi igitur sciendique quaesivere principium seu fundamentum, ex quo omnes non modo intelligendi cogitandique seu mentis actiones, sed et acta ejus seu cogitationes et ideas certa via ac ratione deducere, demonstrare et dubiis in casibus criterio illis uti possent. Hoc autem principium in *rationali* animae parte (*τῷ λογικῷ*) inveniri rati sunt. *Zeno* ille Citiensis totam humanam scientiam non modo in tres singulas partes, Logicam, Physicam et Ethicam (*τὸ λογικόν, τὸ φυσικόν καὶ τὸ ἠθικόν*) divisit, sed Logicam denuo in Rhetoricam et Dialecticam distribuit. Dialectica autem Stoica continet Grammaticam et Noëticam, quarum una enunciandi et interrogandi, altera cogitandi et concludendi disserit doctrinam. Omnes autem, quae huc pertinent, quaeque a prioribus acceperant Stoici, Logicae et Dialecticae formas, regulas mentisque actiones et acta sub unam quandam acute distinctam et explicatam cognoscendi seu sciendi theoriam subsumserunt, atque ideo Logicam multis novis auxerunt, quorum modo commemoranda sint animae *τύπωσις* sive impressio, ejus *ἑτέρωσις* et *ἀλλοίωσις* sive alteratio, *φαντασίαι* seu visa, distinctae in *καταληπτικάς καὶ ἀκαταλήπτους*, i. e. comprehensa et incomprehensa; *ὀρθὸς λόγος*, i. e. ratio directrix, quae est judex (*κριτήριον*) omnis veri et boni, multaque alia, a Zenonis sectatoribus, maxime *διαλεκτικωτάτῳ Chrysippo*, conclusionum conditionalium et disjunctivarum, nec non multorum captiosorum inventore, addita. Neque vero sa-

tis dici potest, ad quantam scientiae perfectionem Stoici Logicam extulerint; siquidem ipsi hujus scientiae finem postero tempore é conspectu perdidisse videntur.

Multo minus jam *Epicurus* ejusque sectatores, partem Stoicis contrariam obtinentes, de Logica meriti sunt; quippe quod ille perinde atque in Physicis in Logica quoque Democritum sequutus est, omnemque plane Logicam et Dialecticam rejecit, imo suam cognoscendi theoriam ad nonnullas communis vitae usui accommodatas leges regulasque, *Canones* appellatas, reduxit; cujus Canonicae, omnisque veritatis criterium et principium *αἴσθησιν* seu sensationem esse putavit. Quo factum est, ut rationalem Stoicorum theoriam in empiricam seu sensititivam commutarent Epicurei, eaque ratione Logicam ad ultimum scientiae gradum reprimerent.

Maximam autem depressionem vel quasi cladem et ratio et Logica passae sunt a *Pyrrhoneis*, qui quidem dogmatismo nihil nisi *τὸ σκέπτειν* seu dubitationis principium et decretum reliquerunt. Nam quum de cognoscendi criterio cum Epicureis consentirent, Logica ac Dialectica in viam modo seu methodum (*ἀγωγήν*) converterunt, cujus ope et suppositis praeceptis (*τρόποις*) ex omnibus cognitionibus et ideis non modo contradictiones enucleare et demonstrare studebant, verum etiam eo, quod nec quidquam affirmarent, nec negarent, sed quamvis scientiam in dubium vocarent, omnia, quae ratione vera habentur, et debilitabant et auferebant. — Quibus omnibus hucusque expositis cum cognoverimus, quae et quantae inter Graecos philosophos Logicae exstiterint species, quis finis cuique, quodque et initium et exitium Logicae ipsi fuerit, forma ejus ac materia, quas Graeca philosophiae ingenia assequi poterant, exhaustis quasi et absolutis: jam oculos eo convertamus, ubi ratio

humana sub aliis explicandi conditionibus aliam, eamque novam et mentis et Logicae speciem ingressa est. Priusquam autem hanc ipsam, cujus auctorem *Cartesium* jam praedicare liceat, investigemus, nonnulla de iis, quae Logicae per medii aevi saecula occurrerunt, fatis casibusque huic primae dissertationis parti adjungenda esse censemus.

Per quindecim circiter saecula post conclusam antiquorum philosophorum scientiam omnes fere, qui quum philosophiae tum Logicae operam navabant, Aristotelis Organum tanquam firmum et constans Logicae exemplum agnovere, quod quum ipsi superare vel emendare desperarent, in suum et proprium vertere, ceteris scientiis applicare, aliisque tradere conabantur. Ii vero, qui semetipsos aliquid novi proferre posse credebant, aut commentarios ad Aristotelis de his rebus libros, aut tractatus de singulis materiis conscribebant; plerumque tamen id novum ipsum aut leve aliquid, aut superfluum, aut malum fuisse, eorum libri confirmant. His studiis tentaminibusque inter Graecos maxime floruerunt: Galenus, Alexander, Themistius, Simplicius, Philoponus, Ammonius aliique; inter Romanos: Apulejus, Augustinus, Boëthius, Capella, et alii; inter Arabes praecipue: Averroës; inter Christianos Scholastici sic dicti, prae omnibus: Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Duns Scotus, Guilelmus Occamus. Quibus dictis id modo addendum existimamus, Logicam quamquam turbido illo tempore a Christiana religione et Neoplatonica philosophia minime adjutam, tamen sub Dialecticae nomine inter septem illas Boëthii artes liberales asservatam et tractatam esse; saepius autem metaphysicis Scholasticorum quaestionibus adhibitam iisque implicitam, propriam suam speciem et naturam eo usque perdidisse, ut sincero Aristotelis organo denuo in lucem prolato, antiquae Logicae species et auctoritas restitueretur. Verumenimvero ratio humana Christianorum jam ita affirmata, corroborata et libera facta erat,

ut sese Aristotelicam Logicam non tam emendare speraret, quam superare adspiraret. Quod rationis studium maxime ex eo appareat, quod ipsi antiquae Logices formae sese opponeret, eamque abjicere conaretur. Nihil tamen dicam de vano Lullii ad Magnam Artem Logicae emendandae studio; nihil dicam de levibus inanibusque Petri Rami aliorumque similium declamationibus conviciisque contra Aristotelem; non laude efferam Philippi Melanchthonis, Thomae Campanellae aliorumque de Logica merita; transeamus potius ad novam et Philosophiae et Logicae speciem, quam utraque, ut sequens pars manifestabit, Cartesii et Baconis Verulamii studiis recentiori aevo impetravit.

PARS II.

LOGICAE NOTIO PER RECENTIORIS PHILOSOPHIAE HISTORIAM.

Ad illud commemoratu dignum jam progressi sumus tempus, quo inter Christianos ratio philosophorum, antiquis et scientiae et vitae decretis superatis et abjectis, novas quasdam quaerit vias ad perfectiorem absolutioremque rerum divinarum humanarumque scientiam. Quo factum est, ut Logica, quum se ipsam cognitionis scientiaeque instrumentum manifestavisset, prae ceteris omnibus scientiis reformaretur et pertractaretur, vel ipsa novum quoddam fundamentum quaereret. Sed ratio, qua philosophantes illud contendebant, jam primo initio duplex, sibi ipsi ita opposita visa est, ut una pars *idealistica*, altera *realistica* nominari liceat. Utraque autem in eo convenerunt, ut primum quum omnem omnino hucusque traditam acceptamque scientiam, tum Logicam inprimis Aristotelicam, quae ejus comparandae via seu methodus est, imperfectam rationique haud sufficientem existimarent, antiqua ejus forma

ablegata, plane novam peterent; deinde ut Logicae theoriam et empiriam ad unum, idque perfectissimum scientiae totum componere, et firmissimam sciendi doctrinam comparare studerent; denique autem, ut utraque, quum ad eum, quem ipsa quaerebat, perfectionis finem non pervenisset, a tertia quadam, eaque *critica* cognoscendi sciendique via ac ratione negaretur. Hae tres propositae Logicam condendi et construendi viae nunc ita sunt nobis manifestandae, ut hac ipsa manifestatione tres quaedam Logicae species exponantur.

CAPUT I.

Viam idealisticam primum ex recentioribus philosophis *Renatum Cartesium* ingressum esse, inter omnes satis constat. Hic vir magnus, investigatis omnium rerum divinarum humanarumque, maxime iis, quas ab antiquis acceperat, scientiis, eo pervenit, quo nos Graecam philosophiam a scepticis absolutam pervenisse vidimus: ubi totam scientiam in dubium revocavit; verumtamen hoc ab iis maxime differt, quod nec veritatem, nec rationalem cognoscendi vim, sed cognitiones modo scientiasque sibi allatas eo usque dubias esse putaret, dum summum veritatis et scientiae principium invenisset. Hoc autem principium *cogitationem* ipsam esse censuit; quo factum est, ut, quum clare modo et distincte percipiendo et cogitando sese esse rem cogitantem cognovisset, scientiae et veritatis decretum et fundamentum his verbis: *„Illud omne est verum, quod valde clare et distincte percipio,"* constitueret; — magnum sane quum recentioris aevi, tum maxime scientiae philosophicae criterium! Quod autem ad Logicam attinet, ex hoc summo principio demonstrandum et explicandum Cartesio erat, quibus constaret clara et distincta perceptio seu notio, qua via et ratione, perinde atque ipse, alii assequi possent scientiae certitudinem et veritatem; id quod summis metaphysicis quaestionibus

bus valde occupatus paene reliquit. Quo etiam factum est, ut sectatores ejus, magis autem contrarii, ut *Arnaldius*, haud multo post Logicam novam compondi ad Aristotelem sese reverterent.

Permultis tam Metaphysicis, quam Logica vulgari ablegatis Cartesio haud absimilis *Spinoza* scientiae certitudinem et veritatem in adaequatione subjectivae cum objectiva idea ponebat verbis illis: „Neminem posse scire, quid sit summa certitudo, nisi habeat adaequatam ideam, aut essentiam objectivam alicujus rei." Sed ad hanc scientiae certitudinem et veritatem ut perveniretur, aliam, ac vulgaris Logicae viam seu *Methodum* quaesivit, cujus naturam ipse in relicto hujus methodi fragmento ita definivit: „Methodus necessario debet loqui de ratiocinatione aut intellectione, i. e. Methodus non est ipsum ratiocinari ad intelligendum causas rerum, et multo minus est τὸ intelligere causas rerum; sed est intelligere, quid sit vera idea, eam a ceteris perceptionibus distinguendo, ejusque naturam investigando, ut inde nostram intelligendi potentiam noscamus et mentem ita cohibeamus, ut ad illam normam omnia intelligat, quae sunt intelligenda; tradendo, tamquam auxilia, certas regulas, et etiam faciendo, ne mens inutilibus defatigetur. Unde colligitur, Methodum nihil aliud esse, nisi *cognitionem reflexivam*, aut ideam ideae." Et alio loco: „Methodus quia est ipsa cognitio reflexiva, hoc fundamentum, quod nostras cogitationes dirigere debet, nullum aliud potest esse, quam cognitio ejus, quod formam veritatis constituit, et cognitio intellectus, ejusque proprietatum et virium." Non dubitemus, quin Spinoza, hujus methodi natura satis perpensa et perfecte explicata, novam quandam, eamque Logicae speciem assequuturus fuerit, quae, theoria et empiria una comprehensis, Aristotelicam eo superasset, quod hanc in se ipsam resumeret, ultraque excederet.

Post duo haec Philosophica ingenia tertium haud minus *Leibnitii* Logicae quoque nonnulla incrementa attulit. Sicuti ipse rationalem cognoscendi vim ad universalem quandam, in monadologia adumbratam, mentis theoriam reducere conabatur, ita alios quoque ad hoc tentandum excitavit. Et quamquam veritatem metaphysicam, ut priores duo philosophi, in idea absoluta seu Deo ponebat, eandem tamen logica ratione, i. e. cognoscendo et cogitando duobus tantum principiis, *contradictione* sive identitate, et *ratione sufficiente* impetrari posse censebat. Quo factum est, ut non ipse modo haec duo principia vulgari Logicae, quam necessariam ad cognitionem existimavit, praeciperet, sed alios etiam philosophos, ut hoc fundamento scholasticam Logicam conderent et reformarent, impelleret. Inter hos autem maxime excelluit *Wolfius.* Is enim Leibnitii aliorumque principiis fretus, novam fere, et si non perfectam, tamen ingenio hujus temporis adaequatam Logicae, seu „Philophiae rationalis" ab ipso appellatae, speciem prodidit, et hujus scientiae quasi normam constituit, quae, mutata modo forma, re hucusque potissimum apud Germanos floret. Auctor ipse eam sic definivit: „Logicam definimus per scientiam dirigendi facultatem cognoscitivam in cognoscenda veritate;" et deinde: „Logica, inquit, petit principia demonstrandi ex Ontologia et Psychologia (sc. speculativa)": ex his sane intelligi potest, Wolfium non Logicae modo empiriam, qualem Peripatetici et Scholastici conformaverant, nec non Empirici recentiores componunt, sed una etiam, mathematicae demonstrationis ope, certam scientiae theoriam edere voluisse. Sed in dubium vocari non possit, quin auctor illum, quem antecedentes philosophi exhibuerant, Logicae notionis finem non assequutus sit; primum quod abstracta illa, ideae seu veritati absolutae intelligendae non consentanea et adaequata, mathematicae demonstrationis methodo usus est; deinde autem nec rationis mentisque vim et facultatem e pro-

fundo seu fundamento, quae ratio ipsa est, explicuit, neque illam, quam Peripatetica Logica praebet materiam, in suo ipsius sciendae opere omnibus partibus exposuit atque absolvit, neque opiniones omnino cognitionesque vulgares ad ideae veritatisque perfectionem dialectica seu vere rationali demonstratione extulit, sed a Dialectices vi prorsus alienatus, earundem imperfectam vulgaremque naturam forma modo mathematica abscondidit.

CAPUT II.

Quae quum ita sint, ad alteram, priori oppositam Logicae componendae speciem, *realisticam* dico, transeamus. Qui primus est hanc viam ingressus, *Baco Verulamius* est. Nam celebratus hic vir non modo tota Scholasticorum scientia et philosophia, quia veritatem continere non posset, rejecta, verum etiam vulgari Logica, quia veritatem comparare nequiret, relicta, causam hujus impotentiae in eo ponens, quod rerum omnium naturam haud satis investigassent ac perspexissent: totius omnino scientiae ipse inivit „*Magnam Instaurationem*" solummodo diligentius, quam antea factum esset, perscrutanda rerum natura; quippe quod intelligere putaret, „scientiam nihil aliud esse, quam veritatis imaginem: nam veritatem essendi et veritatem cognoscendi idem esse." Quo etiam factum est, ut novam praecipue Logicae speciem non ut Idealista e pura ratione, sed ut Realista sive Empiricus e natura indagata et cognita deducendam existimaret, eamque ab ipso institutam „*Novum Organum*" appellaret. Differt igitur haec Logica mere empirica haud parum non modo a priori idealistica, verum etiam ab Aristotelis rationaliter empirica, et re vera constat e serie regularum quarundam, quas quidem, inspecta experimentisque diversis investigata natura, maxime inductionis et analogiae conclusione, eruerat, collegerat et composuerat, haud dissimiles illis veterum philosophorum canonibus; nulla autem ratione ac de-

monstratione comprobaverat, quam inter semetipsas et cum ratione menteque habeant conjunctionem et relationem.

Hanc vero imperfectam ejus, quam Verulamius constituerat, Logicae speciem *Lockius*, Aristotelica seu scholastica nec non vulgari Logica plane ablegata, nova quadam rationis mentisque recensione et theoria emendare ita conatus est, ut sese demonstrare posse putaret, animam, sicuti tabulam rasam, rerum naturalium tantummodo impressiones accipere, easque rationis et mentis vi et ope dignoscere, abstrahere, componere; ex quo etiam intelligi posse, sensationes sive experientias et fundamentum et criterium omnium idearum seu veritatum esse; quippe quod ideae innatae seu notiones generales non minus, quam mentis leges fictiones, et non nisi ab experientia abstractae essent. Quibus expositis in opere suo de mente, quod, compositum e Logicis et Metaphysicis, neque empiria, nec theoria dici potest, ad illum sane finem pervenit, quem Verulamius vix attigerat.

Sed absolutam rationis mentisque in rebus cognoscendis ac dijudicandis infirmitatem et inconstantiam jam nova quadam scepsi seu dubitandi doctrina *Humius*, Lockii doctrina consequenter explicata et ad finem perducta, demonstrare contendit; hac autem ipsa demonstratione simul Logicae, atque omnis omnino scientiae et veritatis fundamentum evertit, atque ideo veram empirismi sive abstracti realismi naturam et viam plane manifestavit. Nam omnibus his expositis, satis apparebit, hanc magnae restaurationis partem, quae Logica seu novum organum dicitur, non ad veram, ut ipse Verulamius auctor contendebat, sed propterea quod unam modo cognoscendi sciendique, seu verae Logicae partem comprehenderat, non ad vagam modo inconstantemque abiise sciendi rationem et explica-

tionem, sed ad perfectam etiam in rebus summis ac veris et dubitationem et inscientiam.

CAPUT III.

Ita quum cognoverimus, rationem humanam duabus iis, quas modo explicuimus, cognoscendi viis, idealistica et realistica, nec sciendi mentisque seu Logicae affirmationem ex una rationis ipsius vi ac fundamento ita deduxisse, ut hanc deductionem jam perfectam theoriam haberemus, neque omnino idealem theoriae atque empiriae unionem constituisse, sed una alterave parte neglecta aut repudiata, suam ipsius sciendi mentisque firmitatem et vel necessitatem perdidisse: ratio ipsa sub *Cantii* persona hanc suam imbecillitatem ac debilitatem comprehendit, dignitatemque jam fere amissam restituere annisa est. Hic enim vir magnus utriusque viae seu cognoscendi infirmitatem quum bene perspexisset, tertia quadam, eaque *critica* appellata via illam ab antecedentibus philosophis vel non satis sufficienterque demonstratam, vel prorsus debilitatam scientiae certitudinem eo potissimum, quod Idealismi ac Realismi partes una conjungeret, easque ad rationis mentisque principium reduceret, demonstrare et simul novum Logicae fundamentum struere enixe studuit. Quo studio etiam factum est, ut vulgari, maxime a Wolfio emendata Logica non modo non negata, verum ab ipso publice exposita, suo magno opere „*Kritik der reinen Vernunft*" puram imprimis et rationalem Logicae theoriam, quam ipse auctor *universalem* nec non *transcendentalem* Logicam et Dialecticam appellavit discrevitque a peculiari seu vulgari Logica, componeret; sed hoc ipso absoluto speciem quandam discriminis inter Logicae theoriam et empiriam, i. e. inter Logicam doctrinalem et usualem seu communem constitueret. Gravissimis enim iis, quas sibi solas sumpserat, theoriae quaestionibus ac studiis institutis, rationisque cognoscendi

viribus investigatis, eo tandem pervenit, ut quae in Aristotelica Logica empirico modo tradita essent, categorias atque axiomata, nonnullis mutatis, rationi ipsi, ut essent firma mentis in cognoscendis rebus principia et quasi canones, vindicaret, eaque vulgari Logicae ut fundamentum substruenda existimaret; id, quod ipse non exegit, a sectatoribus ejus ita perfectum est, ut praeter transcendentalem *criticam* quandam vulgaris seu scholasticae Logicae speciem impetrarimus.

Quum autem non modo haec in discrimen vocata et quasi fracta verae Logicae notio minus a ratione ipsa confirmari, sed unius etiam Logicae ad alteram applicatio non nisi formalis esse videretur, ita ut applicandi mentis canones ipsi, vulgaris Logicae materiae quasi alieni, ei modo adhaererent; minime autem dialectica sive ideali via e rationis et ideae universalis fundo hausti quasi ac deducti existimarentur: factum esse scimus, ut prae ceteris hujus temporis philosophis illustribus *Fichtius*, vulgaris Logicae empiria plana, neglecta et ablegata, theoreticam solam Logicam, seu puram sciendi doctrinam e summo et simplici quodam rationis principio, quod *Ego* absolutum esse constituit, enucleandam ac deducendam sibi sumeret. Quod quidem quamquam auxilio trium imprimis, quae in uno summo posuit, principiorum, positionis, contrapositionis et compositionis perfecit, deductione et consequentia Cantium superavit; verumtamen, propterea quod et Logicae et Anthropologiae empiriam abjecerat, non eo, quo ratio ipsa singulas mentis actiones et facta quam naturali, tam ideali seu verae scientiae modo manifestare debet, manifestavit. Gravissimum autem opprobrium haec sciendi nec non Logicae theória eam ob causam sibi attulisse videtur, quod cognoscendi vi ac potestate investigatis, earum finem, quae idea et veritas sunt, prorsus postposuit, earumque in animo ac mente explicationem, et sin-

gulis sive empiricis factis absolutionem et definitionem neglexit. Idcirco haec sciendi doctrina novae ac verae Logicae speciei, suo ipsius auxilio eruendae, non modo studium nobis ac spem, verum etiam vim et facultatem eripuit; omnino autem illa a Cantio incepta et Fichtio absoluta via critica nos, ut apparet, ab altera parte ad purum Cartesii Idealismum reduxit, et si Logicam spectamus, eo promovit, ubi aut plane nullam nobis adhuc, quae rationi sufficiat, esse Logicam oportet concedamus, aut ad antiquam Aristotelicam et vulgarem refugiamus, aut denique, hoc refugio vetito, novo scientiae fundamento novam quoque ejus speciem nosmetipsi tentemus.

PARS III.

LOGICAE NOTIO NOSTRO TEMPORE EXPLICATA.

Quamquam Logicae notio hoc expositionis discursu jam ad nostram usque aetatem progressa est, tamen liceat nobis aetatibus relictis paullulum morari exquirentibus, quae et quanta sint ea, per tria sane saecula, tribusque absolutis viis Logicae allata incrementa. Sed conferentibus nobis ultimam cum prima Logicae specie plane confitendum est ac respondendum, Logicam hoc ipso Idealismi et Realismi dissidio, neglectaque aut empiria aut theoria, haud multum profecisse, imo vix unum alterumve nostrae scientiae opus nominari posse, quod gravitate ac doctrina illud Thomae Campanellae superet. Cujus rei causam si quaeras, eam non nisi in eo ponendam esse existimamus, quod omnes horum saeculorum philosophi, uno vel duobus Spinoza et Leibnitio exceptis, nequaquam naturalem neque ideae subjectivae in animo ac mente, neque objectivae sive universalis explicationem perceperint. Quo quidem

factum est, ut philosophantes, quum Graecorum philosophorum Dialecticam, ut necessariam rationis explicationem et vel Logicae quasi animam, minime intelligerent, ab altera parte eam ejusque empiriam, quasi incommodam molestamque molem, contemnerent, imo prorsus abjicerent, ex altera vero novis cognoscendi seu mentis canonibus ac legibus, doctrina et theoria semetipsos frustrarentur. Quae quum ita sint, Logicae ipsi, priusquam ad finem perfectionemque pervenerit, perfectior sane Ideae absolutae, i. e. objectivae et subjectivae scientia, qua certum et constans sibi fundamentum subjiciat, comparanda et exquirenda esse videatur. Sed ratio humana Germanorum imprimis philosophorum studio severissimo huic quaestioni jam ita respondit, ut duobus illustrissimis Philosophicis ingeniis Logicae non modo recens scientiae fundamentum, sed fines etiam amplissimi jam sint comparata.

CAPUT I.

Quum, ut antea dictum est, quam nostra aetas amplectatur, Logicae speciem adumbrantes manifestare debeamus, de nova illa philosophiae ipsius sive ideae absolutae specie nonnulla commemoranda censemus, quibus nos ad illum Logicae fontem deducimur et fundamentum. Ad hanc, quae dicitur, absolutam seu veram ideam nostro tempore intelligendam ratio humana maxime praestantissimo *Schellingii* ingenio se ipsam extulit; ac simul ad eum, quem illa Platonis, Aristotelis, Cartesii, Spinozae et Leibnitii ingenia occupaverant, divinae scientiae veritatisque aeternae locum et sedem quasi ascendit. Est enim hic vir celeberrimus non minus, quam Verulamius, ingressus magnam scientiae instaurationem, altiori vero et, ut ita dicam, divino quodam sensu percipiendam. Quo quidem animo, sicut ille vir, scientiae instaurandae initium in natura cognoscenda et indaganda posuit, et ex iisdem naturae quasi fontibus

tibus ideae scientiam primum ac potissimum hauriendam esse censuit. Sed ex qua ratione, si Logicam spectamus, Cartesius, gravissimis Metaphysicis quaestionibus occupatus, ad nostram Logicae scientiam non pervenit, ex eadem Philosophum nostrum, relictis primae aetatis tentaminibus, novam perfectioremque, quam adhuc desideramus, Logicae speciem vix tetigisse experti sumus; quamquam et ipse multis sane locis, imperfecta et debilitata vulgaris Logicae forma satis cognita et perspecta, reficiendae ac restituendae ejus manifestavit necessitatem. Optime igitur de Logica meritus est, propterea quod mentem non modo induxit ad cogitandam et investigandam rerum omnium, et divinarum et humanarum naturam, sed omnino etiam reduxit ad veram ideam, cujus, ut peracute vidit Spinoza, reflexionem in animo et explicationis viam exponere et constituere ipsius speciem Logicae scientiae esse, jam satis constat ex historia, maximeque elucebit ex sequentis celeberrimi viri doctrina.

CAPUT II.

Magnum enim *Hegelii* ingenium magnam quoque illam, ab antecedente philosopho inceptam, verae scientiae seu Philosophiae instaurationem quum promovit, tum praecipue ad Logicam et Metaphysicam extendit, vel utramque, ad antiquissimam philosophorum, imprimis Aristotelis doctrinam, reductam ac reformatam, ita comprehendit, ut eas in absolutam fere perfectamque disciplinae speciem redigisse videatur. Sed quum nos Logicae tantum notionis per historiam manifestatae partes susceperimus, ad hanc etiam revertamus, et quantum possumus, ejus speciem in Philosophi nostri doctrina cognoscamus. Gravissimo quidem „*Logicae*" appellatae opere Hegelius nobis plane novam hujus doctrinae speciem tradidit, ejusque sane mirabili explicatione ac demonstratione non modo Logicam et Metaphysicam unum et idem, verum etiam id

unum scientiae totum seu Logicam *purae ideae scientiam* esse nos docet. Sed quum ea, quae vulgo Metaphysica dicuntur, sive eae, quae huc pertinent, de summis rerum divinarum humanarumque principiis, quaestiones vel Philosophiam ipsam, vel hujus certe summam partem complectantur, easque hoc posteriori sensu jam ab Aristotele ipso *πρώτην φιλοσοφίαν*, i. e. primam philosophiam appellatas et per se tractatas esse cognitum compertumque habeamus; prima autem seu summa philosophia nonnisi doctrina et scientia de Idea summa seu veritate, quae Deus est, esse possit: Logica, quae rationalem hujus summae ideae explicationem et demonstrationem continet, illam sane, quam philosophiae historiam investigantes adhuc exposuimus, Logicae notionem et naturam longe superare debeat. Id enim tam grave, quale lux terrae vix viderit, opus, quod Logicam absolutam seu Philosophiam perfecte idealem nec non Theologiam puram appellare malimus, si cum illa per historiam hucusque enucleata Logicae ac Dialecticae doctrina conferamus, non illam, quam idea, ut ad suum veritatis quasi statum perveniat, animo ac mente perficiat necesse est, rationalem sciendi viam, sed puram atque universalem ideae seu purae veritatis ipsius expositionem et definitionem substantialem sive objectivam demonstrandam sibi proposuit. Quibus adhuc dictis quum manifestum esse existimemus, non modo duplicem esse rationalem seu Logicae ideae explicationem, subjectivam quidem seu formalem, et objectivam seu realem, sed etiam quantum haec Nostri Logica ab omnibus differat historiae speciebus: his illud addendum putamus, Philosopho nostro ipsi, aeque ac ceterorum ingeniis, quae Logicam vulgarem seu scholasticam plane rejiciebant, quorum unum tantum Spinozae apellem, necessarium visum esse, invenire et demonstrare certam quandam, qua ad veram scientiam seu Philosophiam perveniatur, viam ac methodum, i. e. doctrinam quandam propaedeuticam, cujus Noster

ipse quum partes nonnullas ad introducendam Philosophiam et Logicam suam, tum amplissimam et per se expositam disciplinam, „*Phaenomenologie des Geistes*" dictam, explicuit. Verumenimvero hanc fere novam doctrinam, aliis, quae ceteris scientiis depromta aliena videntur, relictis, aliis quibusdam vero e Logica scholastica sive Aristotelica, recentioribusque sciendi doctrinis, omnino e vulgari Logicae empiria et theoria resumtis, ad eandem sane, ad quam ab historia ducimur et cum ea nosmetipsi desideramus, Logicae et Dialecticae speciem sive ad veram sciendi doctrinam et scientiam profecturam esse praedicamus. Videtur ergo haec nova Logicae species, quum sua natura Metaphysica sive purae Ideae absolutae scientia, idea autem ipsa omnis omnino et sciendi et scientiae finis sit, finis modo esse, ad quem nostra, denuo instituta, Logicae doctrina dirigenda sit et componenda. Praeterea autem quum hoc Hegelii et Metaphysicae et Logicae instauratione non nomina tantum scholastica, jam diu obsoleta, plane perversa, verum etiam utriusque notiones commutatae esse et reformatae videantur: his distinctis aptiusque definitis, novis formis nova etiam nomina adjungenda esse censemus.

CAPUT III.

Sed quum his omnibus adhuc dissertis non modo praecipuas, quas per historiam deducere tentavimus, Logicae notionis species explicuerimus, sed simul fortasse intellexerimus, ad quem Logicae perficiendae locum et gradum processerimus, ea omnia conspicientes et conferentes haec modo habeamus et ad finem, et in usum nostrum dicenda. Primum enim nos ab historia ipsa admonitos et edoctos esse credamus, Logicam vulgarem nequaquam jam ita perfectam et absolutam esse, ut nulla, quod vulgo credunt et viri quidam clarissimi obtinuerunt, emen-

datione et restauratione egeat, sed potius, quod formam ejus et materiam attinet, adhuc multa emendanda desiderare. Deinde ex historica Logicae notionis adumbratione nobis percipere licet atque intelligere, Logicae naturam neque ex sola empiria, neque theoria constare, sed, si vera est, utramque uno toto concretam continere. Denique ex tota nostra disquisitione cognovimus, notiones eorum, quae vulgo Logica ac Metaphysica appellantur, vix unum idemque esse posse, sed secundum duplicem, eamque formalem et realem ideae absolutae in animo explicationem plane diversas esse, et per se explanatas duas quoque inter se diversas constituere scientias. Quodsi in Logicae notionis restauratione et explicatione compertum cognitumque retinemus et commemoramus, hac nostra cognitione speremus fore, ut non modo Logica ipsa finem suum absolutum consequatur, verum etiam quasi reviviscat in animis et doctorum et discipulorum, maximoque eos amore ac diligentia afficiat. Finis autem hujus Logicae studii is semper tenendus videtur, ut sit Logica non *Canon* solum, sed *Organum* etiam nec non *Criterium* omnis veritatis et scientiae, vel, si sit novum ei imponendum nomen, *sciendi scientia*, i. e. *ἐπιστήμη τῆς ἐπιστήμης ἢ τοῦ ἐπίστασθαι*, seu vernacula lingua *Wissenschaftslehre*. Nos praeterea omnimodo adhortantur et historia et nostrae aetatis ipsa ratio, ut, quantum possimus, rem postulatam exigamus; quippe quod hujus operis perfectio et absolutio nostrae rationis mentisque, ceteris omnibus scientiis optime probatae, vim et facultatem minime excedere videantur.